

AD ARTIC. XXV.

ARGUMENTUM.

*Aliquot indicia omnibus delictis communia hic recensentur & expli-
cantur, quæ quoque in casu deficientium indiciarum specialium attenden-
da sunt.*

EXEGESIS.

Ante omnia videndum est Judici, quid in unoquoque delicto sit singulare, nam pro varia delictorum qualitate etiam indicia eorum variationem recipere solent. Quoniam verò indicia quædam sunt generalia, quædam verò specialia, considerare Judex teneatur, annon specialia quædam extent indicia, quæ ad torturam faciant; illa siquidem sunt potentiora generalibus, adeoque præferenda: deficientibus autem hisce, tum demum ad generalia recurrentur erit; Illa autem in hoc articulo numerantur septem: I. Qualitas personæ, In qua duo conjungit Imperator. (1) Vitæ genus, quod talis persona sequitur. Ut si diffamatus sit homo vilis, qui à delicto, cuius insimulatur, non videtur abhorrere. Quantumvis Monticellus in repertorū Testium. Verbo VILIS vers. 3. col. 2. Judicis arbitrio vult committere, quinam propriè dicatur vilis persona: Attamen vilis persona quadrupliciter considerari potest. (a) Ratione Originis, ut qui ex abjectis & vilibus seu levis fortis hominibus sunt procreati; cuiusmodi sunt, qui civitatis expertes catervatim de loco in locum proficiscuntur; vel qui in civitatibus quidem nascuntur, ab infimâ tamen fæce vulgi originem trahunt, uti liberi lictorum, carnificum & similium. (b) Ratione officiis, sicuti qui à legibus improbatum vitæ genus sequuntur, quemadmodum faciunt, qui in scena artem joculariam exercent ad acquirendam pecuniam. (c) ratione turpis admissi, utpote, qui tale quid commiserunt, ob quod infamiam sibi contraxerunt: uti falsarii, perjuri, aut ob libellum famosum damnati, & qui alias per sententiam honoris & dignitatis jacturam passi sunt. (d) ratione inhone-
ste vitæ, ut qui in honestum vitæ genus sectantur, & vel meretriciam artem exercent, vel etiam lenonum munus sustinent. Quales homines pro vilibus personis haberi certum est. Qui enim à vilibus parentibus procreantur, viliter etiam educantur, & malis moribus à pri-
mis